



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

1. Quarè Deus segregavit populum Iudaicum à c[a]eteris gentibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

1. *Quare Deus segregauit populum Iudaicum à ceteris gentibus.*
2. *In quem finem illis dedit legem, ceremonias, & hostias præcepit.*
3. *Quomodo semper sub una fide varij ritus & ceremoniæ sine periculo sint obseruatae.*

1.



Ost lapsum primi parentis, Gen. 3. statim ex gratuita misericordia Deus promisit saluatorem futurum, Christum scilicet: Ipsum semen conteret caput tuum, ubi serpenti deceptrici Adæ maledixit, & homini iterum se daturum in tempore redemptorem promisit. Hanc igitur promissionem voluit Deus tenere & credere Adam & Euam, ac omnes posteros eius. Et sic fide istius promissionis diuinæ consolarentur de recuperanda salute æterna, quã peccando perdididerant, cum de paradiso expulsi fuerant, propter illud promissum semen, id est, Christum. Et in hac fide Adam & Eua & quotquot pii erant, detinebantur & consolabantur, & spem habuerunt salutis recuperanda propter promissum Christum, vsq; ad tempus Moysis per multa tempora. Et licet essent idololatræ plures ab Adam vsq; ad Moysen, erant tamen pii & fideles, in quibus vixit & permansit fides huius promissionis Diuinæ. Et quando maior pars hominum in mundo cœpit idololatrare, tunc segregauit sibi Deus populum specialem à ceteris gentibus, scilicet Abrahamam, Isaac & Iacob, & pios aliquot illorum filios: & hoc primo, vt esset aliquis populus qui crederet & conseruaret hanc promissionem de semine Christo factam: & eandem promissionem replicauit Abrahamo, Dauidi &c. quò essent certiores: deinde, vt esset certus populus

pulus in quo nasceretur Christus. Nā factus est Christus filius Ahrahę, filius Dauid secundum carnem, Ro. 1. Postremò, vt esset populus, apud quem vera testimonia de vero Deo essent: nam gentes colebant falsos Deos, idola, &c. Psal 113. Dij gentium Dæmonia. Et quia iudæi sic erant electus Dei populus, & propter supradicta testimonia: ideò multis miraculis Deus ornauit hunc populum, sicut patet quantis miraculis est eductus ex Aegypto, etiam in deserto, quæ & quanta fecit Deus cum illis: propter has igitur causas Deus sibi segregauit populum illum.

Deus hunc populum subiecit varijs legibus, sacrificijs, & cæremonijs, quib. coërceretur caro ad reuocandum ab idololatria. Nam Aegyptij, inter quos fuerant nati & educati Iudæi, colebant sicut Deos, agnum, bouem, hircum: & ideò nefas existimabant, dicta animalia immolare: ideò dicebant ad Moysen Exo. 8. Si mactauerimus ea quæ colunt Aegyptij, coram eis lapidibus obruemur. Et ideò per oppositum præcepit Dominus ista animalia sibi immolare, ne inciderent in idololatriam, & huiusmodi animalia pro Dijs reputarent. Deindè, ne putarent se inferiores gentibus, qui diuersa sacrificia suis dijs immolabant, vt & ipsi essent occupati, & sic Deum vnum colerent in figura veri sacrificij, mactandi in fine temporum, scilicet Christi: figurabat enim mors animalium, mortem futuri Christi. Vide latius Lyræ super Leuit. 1.

Sed hæc iudæorū sacrificia pro peccatis populi, Sacerdotis, Principis, sicut patet Leuit per multa capitula, non merebantur verè iustificationem & remissionem. Hebr. 10. Impossibile est sanguine hircorum, taurorū & vitulorum deleri peccata. Igitur per illam solam fidem in futurum Christum illis promissum, verè remittebantur eis peccata. Et ideò quoad iustificationem, nullum est discrimen noui & veteris te-

stamenti, quia vtriq; fide in Christum iustificamur, non lege operū. Ro 3 Arbitramur hominē &c. & Gal. 2. Si ex lege iustitia, Christus gratis venit in mundū.

Merebantur tamen hæc sacrificia & cultus Iudæorum ciuilitate, hoc est, coram illa Ecclesia remissionē à sordibus carnis, quòd mundificabantur & reputabantur mundi, & ostendebant se esse partem populi, ne à politia Moysis excluderentur, erant quoq; hæc sacrificia, signa confessionis & sacrificia laudis, quibus Deo gratias agebant pro acceptis beneficijs: & profitebantur se illum inuocare Deum, qui eis hoc verbum dederat, & de Aegypto liberauerat, eosq; custodiret & sanaret.

Cæterum pijs & credentibus omnes illi cultus in lege erant bona opera, quibus fidem suam exercebant, & quatenus crederent futurū Christum occidendum pro totius mundi salute, sicut etiā David alludit Psal. 50. Adsparges me Domine hysopo: etiam varijs præmijs Deus ornauit huiusmodi sacrificia & cultū, liberando illos ab inimicis, donando terram lacte & melle fluentem. Non tamen talibus obseruatiunculis legis iustificabantur coram Deo, sed fiducia misericordiæ eius promissæ per Christum venturum, ob id vbique Apostolus detrahit legi iustificationem, & transfert in Christum, Rom. 3. Gal. 3. & 4.

Sed plurimum offendit Iudæos ea doctrina iustificationis, qui æstimabant se consequi remissionē & salutem propter suos cultus & opera legis atque sacrificia, ideò persequebantur & occidebant Prophetas omnes Christo iustificationem tribuentes, sic gentes & Iudæi occiderunt sanctos homines, & Christum ipsum & Apostolos propter hanc fidem. Quare & hodie fit tumultus ab his qui ignorant rationem iustificationis, & hanc tribuunt suis cultibus, & cumulant in eum finem diuersos cultus, ordines & ceremonias: illi dum audiunt quòd propter hæc non iustificantur